

DE AGRORVM CONDITIO-  
nibus, & constitutionibus limitum,

SICVLI FLACCI lib.I.

IVLII FRONTINI lib.I.

AGGENI VRBICI lib.II.

HYGENI GROMATICI lib.II.

VARIORVM AVCTORVM

Ordines finitionum. De iugeribus metiundis.  
Finium regundorum. Lex Mamilia. Colonia-  
rum pop. Romani descriptio. Terminorum in-  
scriptiones & formæ. De generibus lineamen-  
torum. De mensuris & ponderibus.

Omnia figuris illustrata.

Num. LX. cap. 8. num. 4.

PARISIIS, M. D. LIIII.  
Apud Adr. Turnebum typographum Regium.

EX PRIVILEGIO REGIS.

COLL. SOC. IESV SALM. EX DONO REGVM



ILLVSTRISS. CARDINALI ET PRINCI-  
pi Carolo à Lotharingia, Petrus Gallandius S. P. D.




*V*M ante annos decem, pace inter Carolum  
Caesarem, & Franciscum regem sancita, ego  
& Adrianus Turnebus Belgicæ occidentalis  
aliquot oppida perlustraremus, & in singu-  
lis monasteriis libros veteres, veluti canes sa-  
gaces in lustris feras, diligenter conquirere-  
mus, in diui Bertini apud Audomari Phanū  
bibliotheca, inter multa veneranda vetustatis monimenta, situ  
& puluere obducta, volumen vnum, quod varios libros, eosque  
maiore ex parte non ante visos continebat, inuenimus. In eo siqui-  
dem erant Sículus Flaccus de conditionibus agrorum, Frontinus  
de eorundem qualitate & controuersis: in hunc etiam Aggeni  
Vrbici cōmentarij: præterea Hygeni de limitibus constituendis,  
Gromaticus dictus: alij item variorum auctorum eiusdem fere ar-  
gumentum, quibus varij limitum ordines, iugerum metiendorum, fi-  
nium regundorum, terminorum ponendorum ratio, & omnia li-  
neamentorum mensurarumque ad hæc necessaria genera, ex ra-  
tione geometrica explicantur. Qui quidem cum ex antiquitatis  
iurisque cognitione in agrorum conditione explicanda, eorum-  
que finibus regundis, iisque metiendis, diuidendis, & assignan-  
dis, ad reip. administrationem, tum verò propter verborum  
rebus nobis minus vsitatis accommodatorum ingentem copiam,  
ad linguæ Latinæ locupletationem necessaria plurima comple-  
cti nobis viderentur, ut per maius otium, & diligentius euolu-  
issent, huc transferendos esse, monachis permittentibus, duxi-  
mus. Quos sæpius in manus sumptos, cum admodum vitiatos, &  
multis modis deformatos deprehendissemus, ingenti fructu, qui  
ex his capi possit excitati, diuisis velut partibus accuratius le-  
gendos, & quæ animaduertenda duxissemus, communicanda  
inter nos esse iudicauimus. Id cum bene succedere videremus, &  
libros incredibili verum scitu dignarum copia refertos, dignos  
iudicaremus qui emendatiores in omnium manus peruenirent,



SICVLI FLACCI DE CONDI-  
TIONIBVS AGRORVM.

**C**ONDITIONES Agrorum per totā Italiam diuersas esse, plerisq; etiam remotis à professione nostra hominibus notum est: quod etiam in prouincijs frequēter inuenimus. Accidit autem vt ex similibus causis similes haberent conditiones. Ciuitates enim, quarū conditiones aliæ sunt, coloniæ dicuntur, municipia, quædam præfecturæ, habent vocabulorū differentias: quæ verò non, liceat earum diuersas esse conditiones. Regiones autem dicimus, intra quarum fines singularū coloniarum, aut municipiorū magistratibus ius dicēdi coercendique est libera potestas. Ergo hæc vocabula nō sine causa acciderunt. quidam enim populi pertinaciter aduersus Romanos bella gesserunt: quidam experti virtutem eorum, seruauerunt pacē: quidā, cognita fide & iustitia eorū, se eis addixerunt, & frequēter aduersus hostes arma eorum tulerunt. leges itaque p̄ suo quisque merito acceperūt. neq; enī erat iustū, vt his qui toties admissio periurio rupere pacē, ac bellū intulere




Ager diuisus & assignatus.




# AGGENI DE CONTROVERSIIS.

De positione terminorum controuersia.



- A** Flumen Iu-  
 maro  
**B** Fines vtu-  
 lenfium  
**C** Fines fecus  
 Terronéfiū  
**D** Fundus fini-  
 b. exceptus  
**E** Sylua & pa-  
 ſcua Iuliē-  
 ſium



tati. is est ille qui in agris semitas custodit, Pani, Herculi, & Cereri facer. Nomina verò limitū hęc sunt: decumani, cardines, actuarij, intercisui, linearij, sextanci, nonarij, qui solis cursum sequuntur, præfecturales, mōtani, qui angulo subiacent, austrinales, vndecumani, solitarij, egregij, regulares, subrunciui, quintarij, scutellati, temporales, qui lunę cursum sequuntur, diagonales, hypotenusales, Gallici, colonici, perpetui, passui, limites qui per antica & postica diuiduntur. Agrorū autē nomina, cēturiatus, dextrat<sup>o</sup>, sinistratus, citratus, vltratus, tetragon<sup>o</sup>, normalis, Neronianus, podifmatus, Cęsarianus, adsignatus, iugarius in quinquagenos, meridianus in xxv. cōmutatus ex beneficio Augusti, subsiciuus, tessellat<sup>o</sup>, epipedonicus, solitarius, Syllanus. Mēsurę nomina in agris sunt, digitus, vncia, palmus, sextans siue dodrans, pes, cubitus, gradus, passus, decempeda, actus, stadium, miliarium.

Hęc adscribenda huc duximus, quòd & ad hanc de limitibus disputationem faciant, & apud Volaterranū corruptissime legantur. Quod autem in Hygeno Volaterranus legit Nobiria, codex noster habet Nobirca, & Noberca, vt proculdubio, Nouerca legendum sit, id est aduersa & infesta.

EXCVDEBATVR LVETIÆ PARISIORVM  
VIII. CAL. DECEMBR.  
M. D. LIIII.

